

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Ivs Comitiorvm S.R.G.I. In Interregno**

**Ayrer, Georg Heinrich  
Strube, Julius Melchior**

**Gottingae, [1746?]**

**VD18 1276969X**

XXI. De Conrado III. Archiepiscopo Mogvntino, Vtrvm Vicarivs Imperii  
Comitia Indixerit.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17499**

XXI. DE CONRADO III. ARCHIEPISCOPO MO-  
GUNTINO, VTRVM VICARIVS IMPERII  
COMITIA INDIXERIT.

AD vindicandum illustrandumque ius Vicariorum  
indicendi Comitiam, IOANNES IOACHIMVS MVLLERVS,  
diligentissimus rerum nostrarum scriptor, epistolam  
aliquam CONRADI III. Electoris Moguntini exhi-  
bet *a*), qua is Augustanum Episcopum vocat Mo-  
guntiam ad Comitiam A. 1426. Sed si quid iudico, pla-  
ne ad hanc causam eae quidem literae non pertinent.  
Primum, quod & ipse agnouit MVLLERVS *b*), to-  
tam hanc conuocationem peregit CONRADVS, vt  
Archiepiscopus, erat enim, vt ait, *a Domino nostro*  
*Rege Romanorum diffinitum, quod consanguinei nostri me-*  
*morati Domini Otto Treuerensis, Theodericus Coloniensis*  
*Archi-Episcopi, atque nos, quisque singulos Episcopos suf-*  
*fraganeos, confratres nostros ad nos & nostras Metropoles*  
*ciuitates pertinentes, ad conueniendum vna nobiscum in di-*  
*etae conuentionis termino praefati domini nostri Romanorum*  
*Regis*

*a) Reichs-Tags Theatrum un-*  
*ter Maximiliano To. II. p. 25.*

*b) cit. loc. III, Vorstell. Cap. V.*  
*§. 7. p. 26.*



regis atque nostro nominibus cohortando inuitare debeamus & teneamur. Itaque Augustanum Episcopum Amicum & confratrem suum carissimum, ut Metropolitanae sedis membrum praecipuum - - hortatur - - ut ad praefatum conuentionis diem - - conuenire velit. Deinde, neque illud verum est, in quo tamen totius rei cardo vertitur, CONRADVM eo tempore Vicarium fuisse. Cum aduersus Bohemos arma moueret SIGISMVNDVS Imperator, decennalem Imperii administrationem quidem CONRADO commisit. a). Sed id sine iniuriam suorum laesione fieri non posse, LVDOVICVS Palatinus affirmabat. Quare, lite super ea re mota, arbitrium Treuirensi & Coloniensi Archi-Episcopis commissum est. Qui cum causam Palatini potiorum iudicarent b), CONRADVS, qua erat pro pace & iustitia impensa voluntate, illa procuratione maluit se abdicare, quam cum alterius inuidia vel

N

offen-

a) Factum illud esse a. 1424. tradit SERRARIUS *Rer. Mogunt. L. V. in vita Conradi III. §. 4. in Script. Moguntiac. To. I. p. 737.* non satis accurate. Nam cum arbitrium latum sit a. 1423. eodemque anno ipse CONRADVS hac dignitate se abdicauerit, dubitari non potest, quin ea res in

antiora tempora & ann. forte 1422. vti placet Clarissimo IOANNIS ad eum locum n. 9. p. 738. incidat.

b) ipsum laudem extat in dem kurtzen Bericht von der Churfürstlichen Pfaltz Vicariats Gerechtigkeit in den Beylagen Lit. F. p. 34.



offensione amplius defungi. Quod cum fide literarum ea de re conditarum d. II. Maii 1423. factum sit a) dubitari non potest, literas a MVLLERO prolatas anno demum 1426. scriptas, vi Vicariae potestatis ab eo exaratas non esse.

**XXII. IVS VICARIIS IN COMITIA SVB MAXIMILIANO I. ASSERTVM.**

SVB MAXIMILIANO I. varia occurrunt caussam Vicariorum apprime illustrantia. Peractis enim magnis illis & illustribus Wormatiensibus Comitiiis, novum is conuentum comitiale, in Francofurtensi vrbe die purificationis Mariae habendum indixerat, qui varia ob impedimenta Lindauiam a. d. 7. Augusti 1496. translatus est b). Cui cum ipse Imperator, expeditione Italica tunc occupatus, interesse non posset, de constituendo Vicario PHILIPPO filio agitata sunt consilia c), resque eo perducta, vt literae

a) extant in dem kurtzen Bericht Lit. G. p. 36.

b) vid. DATTIVS de pace publica L. III. c. II. n. 50.

c) vid. Vicariatus Palatinus de.

fensus (1658 4. Edit.) p. 20. MVLLERI Reichs Tags-Theatrum unter Maximiliano I. To. II. p. 6.